LVCAS ANTONIVS VIRILIS, IVRIS VTRIVSQ; Doctor, sanctissimi Dñi nostri Papæ Capellanus, & ipsius sacri Palatij Apostolici causarũ, causæque, & causis ac partibus infrascriptis auditor iudex, & commissarius in locum bonæ memoriæ, Reverendi Patris Domini Buratti subrogatus, universis, & singulis dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, scholasticis, cantoribus, thesaurarijs succentoribus sacristis, Canonicis, Rectoribus, plebanis, capellanis, vicarijs, cæterisq; præsbyteris, clericis, notarijs, & tabellionibus publicis quibuscumq; per civitatem, & diocæsim Hispaleñ, ac alias ubilibet constitutis, & eorum cuilibet insolidum, salutem in Domino. Noveritis quod sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Vrbanus, divina providentia Papa octavus, quandã commissionis dependentis papyri scedulam, cum alia in eius capite præinserta nobis præsentari fecit tenoris sequentis videlicet, Beatissimè Pater cum alias, devotus S.V. orator, Antonius de Cobarruvias per trienniũ pacificè possedisset thesaurariam Ecclesiæ Hispaleñ, ideoque nullatenus super ea denuo, sic possessa molestari, nec illa á quoquam validè impetrari posset, nihilominus quidã Franciscus de Casaus adversarius, illam certo modo vacare prætendens, sub, & obreptitie, á Sede Apostolica impetravit, litterasq; Apostolicas Thomæ de Ayala earum executori præsentavit, qui illis minimé verificatis, ac non obstante dicta oratoris pacifica possessione, reiectisque illius relevantibus exceptionibus circa sub, & obreptionem impetrationis dicti adversarij, eundem instituẽdum, & oratorem à dicta sua pacifica triennali possessione amovendum esse pronunciavit, nulliter, & inique, ideo dictus orator infra legitima tẽpora appellavit, & de nullitate dixit dignetur itaque S.V. causam, & causas appellationis, & appellationũ huiusmodi, nullitatis, & nullitatum ex tribus iniquitatis, & iniustitiæ, etiam notoriæ attentatorum, & innovatorum quorumcumque, ac quam, & quas, &c. cum omnibus suis incidentibus, dependentibus emergentibus annexis, & connexis, totoque negotio principali, alicui ex vestri sacri Palatij Apostolici causarũ Auditoribus, seu locumtenenti, attento quod fructus dictæ thesaurariæ, annuatim ad viginti quatuor ducatos auri de Camera ascendunt, audiendas, cognoscendas decidendas fineque debito terminandas committere & mandare cum facultate citandi in Curia, & extra, ac sub sententijs censuris, & pœnis, &c. Inhibẽdi, quos, quibus, ubi, & quoties opus fuerit, ita tamen, ut inhibitio non afficiat, quatenus actum sit vigore litterarum, in forma brevis expeditarum contradictores, &c. Servata forma Concilij Tridentini in illas incidisse declarãdi, aggravandi, reaggravandi, auxiliumque brachij sæcularis invocandi, attentata & innovata quæcumque prout de iure revocandi, oratoremque adversus fatalium lapsum, & rem iudicatũ, & quæcunq; præiudicalia in integrum prout iuris erit restituendi, cæteraque faciendi, exequendi, necessaria, & opportuna præmissis, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis stilo Palatij, & Curiæ, cæterisque contrarijs non

non obstantibus quibuscumque statum, &c. habentes. *De mandato Domini nostri Papæ audiat Magister Lucas Antonius, subrogatus Mathæi, citet, inhibeat, etiam sub censuris, revocet, restituat, procedat, ut petitur & iustitiam faciat, placet Domino nostro Papæ, Lucas Antonius Virilis parte citata, & intimata.* Beatissimé Pater, cum per obitum quondam Hieronymi Leyva, utriusque signaturæ referendarij die decima octava, mensis Octobris millesimi, sexcentesimi, vigesimi tertij vacasset thesauraria Ecclesiæ Hispalensis, Archiepiscopo tunc alternativa non gaudente, cum illam in datariа acceptasset sub die decima octava, mensis Novembris immediatè post vacationem sequentem, & de dicta thesauraria, ab eadem S. V. provisus fuisset devotus illius orator dō Franciscus de Casaus, & ab Archiepiscopo Hispaleñ, vigore alternativé, don Antonius de Cobarrubias adversarius inter quē, & oratorem, lis & controversia, super executione litterarum Apostolicarum, ad favorem oratoris expeditarum, diu durante, capitulum cum adversario colludens illum in possessionem immisit, nulliter tamen iniuste, & attentate, á qua licet per executorem litterarum Apostolicarum, uti intrusum, tum propter reservationes sanas, tū propter pendentiā litis, præcedentibus omnibus censuris, ac post triginta duos recursus per adversarium ad iudices Regios tandem expulsus fuisset, & orator per capitulum immissus pacificé, quia tamen idem adversarius præinsertam obtinuit, & sub prætextu, quod esset triennalis pacificus possessor, ac alijs falso narratis, fuit omissa debita clausula, sine præiuditio executionis litterarum Apostolicarum, ac parito litteris, & solum fuit apposita clausula, ita tamē ut inhibitio non afficiat, quatenus actum sit vigore litterarum in forma brevis expeditarum, & vigore præinsertæ inhibuit executionem litterarum, adhuc non consummatam per responsionem fructuum, quos capitulū, sub prætextu prædictæ inhibitionis negat, & executor eadem de causa abstinet, ab ulteriori executione, vigore clausulæ. Et cū fructibus integre responderi faciatis. Cum autem Pater sanctissimé æquum non sit, ut intrusus, vigore præinsertæ nulliter, & subreptitie obtentæ, litterarum Apostolicarum effectum, & consummatam executionem impediat, cum litteræ prædictæ paratam executionem habeant etiam quoad fructus. Supplicat idcirco humiliter S. V. quatenus eidem Reverendo Patri Domino Virili, cui causa reperitur commissa, & á quo inhibitio ipsa emanavit, committere, & mandare dignetur, ut procedat, perinde ac si præinserta commissio signata fuisset cum clausula, sine præiuditio executionis litterarum Apostolicarum, ac clausula parito litteris, cū quibus semper præinserta commissio stare censeatur, prout in præinserta continetur, citandi & inhibendi, procedendi, & cum facultatibus opportunis, & necessarijs, prout in præinserta, præmissis nec non constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis stylo Palatij, & Curiæ ferijs, cæterisque in contrarium, non obstantibus quibuscumque statum, &c. tenores, &c. pro expressis habentes, &c. *De mandato Domini nostri Papæ, idem auditor citet, procedat, ut petitur, & iustitiam faciat, placet Domino nostro Papæ, Lucas Antonius Virilis.* Cuius quidem ultimæ commissionis vigore, fuimus pro parte supradicti Domini Francisci de Casaus principalis, instanter requisiti, quatenus sibi citationem legitimam una cum inhibitione cōtra, & adversus supradictum D. Antonium de Cobarrubias, ex adverso principalem omnesque alios, & singulos, in executione præsentium nominandos, & cognominādos iuxta dictæ cōmissionis ultimo loco insertæ formam & tenorem, cō-

cedere

cedere dignaremur. Nos tunc auditor præfatus attendentes postulationem huiusmodi fore iustam,& rationi consonam,auctoritate Apostolica nobis cōmissa, & qua fungimur in hac parte, vobis omnibus,& singulis supradictis cōmittimus, & in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pæna, districte præcipiendo mandamus,quatenus statim,visis,& acceptis præsentibus,vos vel quicūque vestrū fuerit requisitus,ex parte nostra, imo verius Apostolica authoritate, eundem D. Antonium de Cobarrubias ex adverso principalem, omnesq; alios, & singulos in executione præsentium nominandos,& cognominandos in eorum proprijs personis si commode habere poteritis,alioquin in hospitijs habitationū suarum,si ad ea tutus vobis pateat accessus,& in cathedrali Ecclesiam Hispaleñ, alijsque Ecclesijs & locis publicis quibuscumque,ac ubi,quādo, & quoties opus fuerit, infra missarum, & aliarum divinarum horarum solemnia publice alta & intelligibili voce peremptorie citare curetis prout nos citamus eosdem,quatenus sexagesima die, si iuridica fuerit, alioquin die iuridica immediaté sequente compareant in iuditio legitimé coram nobis,per se vel procuratorem legitimū, & idoneum cum omnibus actis iuribus, & munimentis causam huiusmodi concernentibus dicto Domino Francisco de Casaus principali de iustitia responsuri, ac in ipsa causa ad omnes, & singulos terminos iuditiales usque ad sententiam diffinitivam inclusivè procedi visuri,aliaque dicturi, & facturi quidquid iustitia suadebit, & ordo dictaverit rationis, certificantes dictos sic citatos,quod sive in dicto citationis termino comparuerint, sive non,nos ad præmissa, & alia graviora iuris remedia procedemus iustitia mediante, citatorum contumacia in aliquo non obstante. Et in super cum in lite,& causa huiusmodi sic coram nobis introducta & indecisa pendente, nihil sit in partibus attentandum, seu innovandum, idcirco vobis omnibus, & singulis supradictis, sub isdem sententiarum, & censurarum pœnis,committimus,& mandamus quatenus statim post legitimam dictæ citationis executionem Illustrissimo & Reverendissimo in Christo Patri, & Domino Dei,& Apostolicæ Sedis gratia, Hispaleñ Archiepiscopo, sub interdicto ingressus Ecclesiæ,eiusque in spiritualibus, & temporalibus vicario, seu officiali generali, cæterisque iudicibus quibuscumque, nec non dicto Domino Antonio de Cobarrubias ex adverso principali, omnibusque alijs,& singulis,quorum interest, intererit, aut interesse poterit, quomodolibet & in futurum, de quibus vigore præsentium fueritis requisiti inhibeatis, & inhibendo expræsse præcipiatis ne sub mille ducatorum auri, in auro de Camera, ac in iuris subsidiū excommunicationis, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris,& pœnis in causa huiusmodi in nostræ iurisdictionis, imo verius Apostolicæ Sedis vilipendium,& contemptum dictique Domini Francisci de Casaus principalis iurisque eiusdem præiuditium,&gravamen,quidquam attētare,seu innovare præsumatis,seu præsumant, per se vel alium,seu alios quovis quæsito colore, vel ingenio. Quod si secus factum fuerit, id totum revocare, & instatum præstinum reducere curabimus iustitia mediāte. Quidquid autem in præmissis feceritis fideliter nobis intimare curetis: Absolutionem vero,omnium & singulorum, dictam nostram excōmunicationis sententiam incurrentium,nobis,vel superiori nostro tantum reservamus. In quorum fidem præsentes litteras fieri, & per notarium infrascriptum subscribi,& publicari mandavimus, sigilli que nostri fecimus appēsione muniri. Datum Romæ in ædibus nostris sub anno á Nativitate Domini nostri Iesu Christi

sti

ſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, indictione decima, die vero veneris decima tertia, menſis Auguſti, tempore Pontificatus ſanctiſsimi Dñi noſtri Dñi Vrbani Papæ octavi, anno eius quarto, præſentibus ibidem diſcretis viris dominis Aſtulpho Galopo, & Ioanne Macrino, Notarijs publicis ſacri Palatij Apoſtolici cauſarum, & coram nobis ſcribis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

Et quia ego Ioannes Franciſcus Cartónius clericus Romanus, ſacri Palatij Apoſtolici cauſarum Rotæ notarius, de præmiſsis rogatus fui, ideo præſens inſtrumentum ſubſcripſi, ſcripſi, ſignavi, & publicavi requiſitus. Loco ✠ ſigni.

Loco ✠ ſigilli pendentis.